Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quæ creauit a facie terræ. ab homine usque ad animalia, a reptili usque ad volucres celi, penitet eum fecisse eos. Et dixit ad noe. finis omnis carnis venit coram me. repleta est terra iniquitate a facie eorum. et ego disperdam eos de terra. Fac tibi archam de lignis lenigatis. mansiunculas in archa facies. et bitumine linies intrinsecus. et extrinsecus et sic facies eam. Trecentorum cubitorum erit longitudo archæ. quinquaginta cubitorum latitudo. et triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in archa facies. et in cubito consummabis summitatem eius. Ostium autem archæ pones ex latere dextro. cenacula et tristega facies in ea. Et ego adducam diluuium aquarum super terram. ut interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter celum. omnia quæcumque sunt consumentur. Ponamque fœdus meum tecum. et ingredieris in archam tu et filii tui. uxor tua et uxores filiorum tuorum tecum. Et ex cunctis animantibus omnis carnis bina indues in archam ut viuant tecum masculini generis et feminini. de volucribus iuxta genus suum. et de iumentis in genere suo. et ex omni reptili terræ secundum genus suum. et de iumentis in genere suo. et ex omni reptili terræ secundum genus suum. binæ de omnibus ingredientur tecum ut possint viuere. Tolles igitur tecum ex omnibus esibus quæ mandi possunt. et comportabis apud te. et erunt tam tibi quam illis in cibum. Fecit igitur noe omnia quæ præceperat illi deus. Et ait dominus ad noe. Ingredere tu et omnis domus tua in archam. te enim iustum coram me inuenio in hac generatione. de cunctis pecoribus mundis tolle septenos masculum et feminam. de pecoribus autem quæ mundi non sunt duos masculum et feminam. sed et de volucribus cæli septenos masculum et feminam. ut possint semen reuiuiscere super terram. adhuc enim septem dies et quadraginta diebus et quadraginta noctibus pluam super terram. Et delebo omnem substantiam quam feci de terra. Fecit igitur noe omnia quæ præcepit illi dominus. Et ipse sexcentorum annorum quando diluuium aquarum inundauit super terram. Intrauit noe et filii eius. et uxor eius. et uxores filiorum eius cum eis in archam. propter aquas diluuii. de pecoribus mundis et de pecoribus quæ mundi non sunt. et de volucribus et omne quod mouetur super terram in genere suo. egressique sunt de archa. singula iuxta genus suum. et omne quod mouetur super terram in genere suo. egressique sunt de archa. singula iuxta genus suum. et omne quod volat iuxta genus suum. Et ecce archa ferebat super aquas. et aquæ preualuerunt nimis super terram. operuitque sunt omnes montes excelsi sub omni celo. Quindecim cubitis elatior fuit aqua super montes quos operuerat. consumptaque est omnis caro quæ mouebatur super terram volucrum animantium et bestiarum omnisque reptilium quæ reptant super terram.